


I N T R O D U C T I O .

sphærio nunquam cernitur, sed perpetuo latet depressus sub Horizonte. Quod ut certius capias, respice schema appositum, in quo T indicat Terram, linea HL Axem mundi per terram extensum usque ad fixas, H Polum mundi Boreum seu Arcticum, L Austrum seu Antarcticum.

Secundo, dividitur sphæra diversimode per circulos varios, sed præcipue per octo; quatuor nempe majores, & quatuor minores. Circuli majores dicuntur illi, quorum centra eadem sunt cum centro sphærae, & quæ per medium sphærae ambitum ducti, tam illam, quam se mutuo in duas secant partes æquales: nempe Æquinoctialis, Zodiacus, Horizon, & Meridianus. Circuli minores vocantur illi, quorum centra non conveniunt cum centro sphærae, quique eam secant in duas partes inæquales, ut duo Tropici, & circulus Arcticus atque Antarcticus circa Polos.

Quinque ex iis circulis dicuntur rursus recti seu paralleli, quia eosdem cum sphæra habent Polos, & æqualiter undique à se mutuo distant, ut sunt Æquinoctialis, duo Tropici, & duo Polares: tres reliqui vocantur obliqui, quia eorum poli non coincidunt cum polis sphærae, sed diversimode ab illis recedunt.



C A P V T I I I .

De quatuor Circulis majoribus.

Circulorum maximorum alii sunt fixi & immobiles, alii mobiles. Immobiles dicuntur, qui eundem semper locum in sphæra retinent; ideoque in superficie globorum cœlestium ac terrestrium delineantur, nempe Æquinoctialis & Zodiacus. Mobiles vocantur, qui non retinent eundem situm in sphæra, sed varie permutantur, prout locum variamus in superficie Terræ; ideoque extra globos & sphæras concipiuntur, ut sunt Meridianus & Horizon, quos omnes ordine jam describemus.

Circulus Æquinoctialis, Græcis ἰσημερινός, quasi Æquidialis, quinque Parallelorum est maximus, in medio cœli ad eandem undique à Polis distantiam, dividens sphæram in duas partes æquales, quarum una tendit in Boream, altera in Austrum. Dicitur Æquinoctialis, quia quando Sol ad eum se applicat, dies noctibus æquantur per totum orbem Terrarum. Id fit bis in anno: circa 20 diem Martii, quando Sol intrat principium Arietis, quod dicitur Æquinoctium Vernale; & circa 22 diem Septembris, quando is ingreditur initium Libræ seu Æquinoctium Autumnale. Eandem ob causam idem circulus alio nomine vocatur Æquator.

Zodiacus circulus, unus è maximis, inclinatur ad utrumque Mundi Polum, unde & circulus obliquus dicitur, ab Æquinoctiali ad distantiam graduum 23, min. 31, tam in Boream, quam in Austrum, interfecans Æquatorem, in duas partes æquales, & ab eodem in punctis Æquinoctiorum, nempe initio Arietis & Libræ pari modo sectus. Dividitur in partes æquales duodecim, & earum singulis assignatur unum signum, quorum signorum characteres & nomina sunt hujusmodi.

♈ Arietis, ♉ Taurus, ♊ Gemini, ♋ Cancer, ♌ Leo, ♍ Virgo,
♎ Libra, ♏ Scorpius, ♐ Sagittarius, ♑ Capricornus, ♒ Aquarius, ♓ Pisces.

Tria priora ♈ ♉ ♊ incipiunt cum ♈ ab Æquinoctio Verno, scanduntque ab Æquatore in Boream. Tria sequentia ♋ ♌ ♍ incipiunt cum ♋ descenduntque in Austrum usque ad Æquatorem in Æquinoctio Autumnali. Tria proxima signa ♎ ♏ ♐, descendunt porro ad Meridiem. Tria residua ♑ ♒ ♓, incipiunt cum ♑ ascenduntque in Boream usque ad Æquinoctium Vernale, in principio Arietis. Hunc circulum percurrit Sol intra annum unum naturalem dierum